

Si impedimentum est juris *naturalis* vel *divini*, non licet inire matrimonium : nam sic sacramentum ministraretur cum opinione tantum probabili de ejus valore (n. 116), neque Ecclesia hunc defectum supplere potest. Cfr. dicenda de impedimentis ligaminis (n. 493) et impotentiae (n. 505) : nam fere in his tantum casus practicus est.

Si impedimentum est juris *tantum ecclesiastici*, ulterius distinguendum venit inter dubium juris et dubium facti. Prius habetur cum dubitatur num factum de quo constat, continetur sub jure irritante ; posterius, cum dubitatur num reapse in casu occurrat quod de se impedimentum certo parit, puta consanguinitas. Igitur *in dubio juris* licet contrahere : Ecclesia enim, ex antiquissima consuetudine, praesumitur supplere defectum, ea ratione qua de jurisdictione in sacramento poenitentiae dictum est. (n. 331) *In dubio facti* contrahere non licet. Ecclesia enim in hoc casu non solet supplere, ut liquet ex ejus praxi separandi eos qui cum impedimento dubio contraxerint, si postea constat impedimentum reapse adfuisse. Igitur qui cum tali dubio contraheret, matrimonium periculo nullitatis exponeret. (S. Alph. n. 902) Plures (Sanch. de Matr. l. 8. disp. 6. n. 18 ; Ball. P. n. 537) censent manere libertatem contrahendi quando dubium est *insolubile*, ex. gr. quando dubitatur de gradu consanguinitatis et prorsus desunt testes et instrumenta. Hanc tamen opinionem parum probabilem censemus, cum vix constare possit hoc dubium reapse esse insolubile, et praesto sit medium quo dubium removeatur, vid. recursus ad dispensationem. Quare non videtur sufficiens fundamentum asserendi Ecclesiam tunc relinquere homines suae libertati.

VII. Regulariter valet matrimonium contractum cum impedimento *mere existimato*, reapse non existente. Nam fere semper matrimonium iniens intendet contrahere quantum potest, quamvis simul aliquod dubium de valore foveat : deficiente igitur obstaculo, valide matrimonium inibit. Immo idem plerumque dicendum erit si quis (quod raro fiet) immerito existimans certo adesse impedimentum, nihilominus velit inire matrimonium pro casu quo in sua existimatione erraret. Invalidum ergo matrimonium foret tantum quando aliquis, nullatenus sperans deesse impedimentum, nihilominus contraheret : is enim nequiret velle verum matrimonium, quod sibi in casu prorsus impossibile existimaret, sed merum concubinatum. (Ball. P. n. 935)

## § 2. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN SPECIE.

470. Nonnihil dissentiunt AA. de numero impedimentorum dirimentium et de ordine quo explicanda veniunt. Sequemur numerum et ordi-

nem apud Theologos Morales post Busembaum et S. Alphonsum maxime usitatos : sic enim facilius Institutiones nostrae cum aliorum doctrina conferri poterunt.

Quindecim distinguemus impedimenta dirimentia, quorum nomina et ordo ut memoriae mandentur juvant trili versiculi :

I. Error, II. Condicio, III. Votum, IV. Cognatio, V. Crimen, VI. Cultus disparitas, VII. Vis, VIII. Ordo, IX. Ligamen, X. Honestas, XI. Aetas, XII. Affinis, XIII. si Clandestinus, XIV. et Impos, XV. Raptave sit mulier, nec parti reddita tute.

Attamen, ob nonnullam similitudinem quam impedimenta affinitatis et publicae honestatis cum impedimento cognationis habent, hujus explanationi statim subjiciemus quae de illis dicenda veniunt, rati studiosi : ita facilius percepturos esse horum trium impedimentorum similitudinem vel disparitatem.

### I. IMPEDIMENTUM ERRORIS.

471 I. Error *substantialis* matrimonium, sicut quemlibet contractum (Vol. I. n. 589), irritum facit, etiamsi esset crassus vel mere concomitans.

In matrimonio autem error est *substantialis* :

1<sup>o</sup> Si versatur circa ipsam personam quacum contrahitur, ut cum Jacob pro Rachel data est Lia. (Gen. XXIX, 23) Matrimonio enim essentialis est conjunctio duarum personarum determinatarum (Suppl. q. 51. a. 2), ideoque persona est *substantiale* hujus contractus objectum.

2<sup>o</sup> Si error, quamvis versetur circa qualitatem, tamen in errorem personae redundat : quod contingit quando error versatur circa personae *alias ignotae* qualitatem quae sit omnino singularis, certum individuum denotans, ut si quis consentiat cum primogenita et dein adducatur secundogenita, vel cum qualitas aliqua est unicus finis matrimonii, ita ut unice tamquam medium assumatur ad obtinendam illam qualitatem tamquam finem. Deficit enim consensus, qui non fertur in personam nisi praeditam qualitate illa speciali intenta. (Reiff. in l. 4. Decr. t. 1 n. 343)

3<sup>o</sup> Si consensus alligatur existentiae illius qualitatis quae falso inesse creditur, ut si quis *expresse* nollet contrahere cum Sempronia nisi esset dives, virgo, etc. Reapse tunc incidimus in casum, supra (n. 458) explicatum, matrimonii contracti sub condicione quae cum veritate non congruit. Adverte ad hoc requiri ut intentio apponendi talem condicionem sit actualis vel virtualis, minime vero sufficere ut sit habitualis. Quare

valeret ex. gr. matrimonium contractum cum puella, occulto morbo laborante, ab eo qui habitualiter hanc dispositionem fovisset ut non nisi sanam duceret. (Sanch. de Matr. l. 7. d. 18. n. 21)

**II. Error accidentalis**, etiamsi sit antecedens, invincibilis et alterius contrahentis fraude inductus, numquam matrimonium irritum facit. Censetur autem accidentalis quicumque non est substantialis juxta modo explicata (I), licet versetur circa qualitates summi momenti.

Ratio praecipua est : unumquemque, nisi expresse specialem conditionem addat, contrahere velle pro natura contractus a se ineundi. Jamvero matrimonium, quod inducit statum firmum et irrevocabilem, natura sua postulat ut detur consensus independens ab iis condicionibus quae non sint de ejusdem contractus substantia. Si enim aliter fieret, plurima matrimonia, cum magno damno et scandalo reipublicae, irrita vel incerta forent. Cfr. Vol. I. n. 314. Immo talis error vel dolus accidentalis nullam causam sufficientem praebet instituendi divortium quod torum vel habitationem. (Sanch. l. c. n. 20)

Adverte tamquam accidentalem habendum esse errorem, quo alterutra pars laboraret circa officia matrimonii, et speciatim circa debitum conjugale. Etenim, nisi expresse consensum suum huic erroneae persuasioni alligaverit, censenda est consensisse in omnes et singulas hujus quem inibat status obligationes, sicut a ceteris eundem contractum celebrari vidit. Hanc regulam sequitur S. C. C. quae interdum, ut in causa Bamberg. 15 Mart. 1856, validum declaravit matrimonium quod mulier, officii matrimonialis penitus ignara, contraxerat ; interdum, ut 18 Dec. 1869, censuit a R. P. petendam esse dispensationem in matrimonio rato. (Act. S. S. t. 5. p. 551 seqq.; Lehm. II. n. 734)

**III. Impedimentum erroris oritur e jure naturali** : quotienscumque enim matrimonium dirimit, deficit consensus qualem ad valide contrahendum natura contractus matrimonialis requirit. Ideo infideles aequae ac fideles afficit.

#### II. IMPEDIMENTUM CONDICIONIS SERVILIS.

**472.** Impedimentum condicionis servilis in eo consistit quod irritum est matrimonium a persona libera, ex errore aut ignorantia, contractum cum persona condicionis servilis. Habet igitur magnam affinitatem cum impedimento erroris : siquidem constituit velut exceptionem regulae generali de valore matrimonii, quod cum errore tantum accidentali contractum est. Hinc etiam patet quare sententia communior et probabilior teneat impedimentum condicionis servilis a jure quidem naturali sua-

deri, a solo tamen jure ecclesiastico constitutum esse, ideoque minime vigere ubi ambo contrahentes sunt infideles.

Conditio servilis hic intellegitur ea quam solent AA. vocare **servitum perfectam** : qua vid. servus, licet fruatur iis juribus quae natura omnibus hominibus voluit manere communia, puta matrimonii contrahendi, tamen tam plene hero suo subditur ut ab eo ad instar patrimonii possideri et alienari queat. Haec autem servitus, Deo favente et Ecclesia adnitente, hodie ubique inter christianos abolita est : quare a praxi jam aliena sunt quae de hoc argumento a Canonistis (in l. 4. Decr. t. 9) disputari solebant.

#### III. IMPEDIMENTUM VOTI SEU PROFESSIONIS RELIGIOSAE.

**473. I.** Matrimonium dirimit professio sollemnis in religione approbata valide emissa. (n. 83) Constat e cap. un. de Voto in 6<sup>o</sup>, et Conc. Trid. Sess. 24. can. 9.

Simplicium votorum professio, etiam in Ordine Regulari emissa, impedimentum tantum impediens constituit. Excipe vota simplicia in Soc. Jesu emissa : quae matrimonium contrahendum dirimunt ex speciali dispositione Gregorii XIII (Const. *Ascendente Domino*, 25 Maii 1584) quae, utpote exorbitans, nequit ad alios Ordines, vi communicationis privilegiorum, extendi. Insuper, cum sententia communi Canonistarum (De Becker, op. cit. p. 151), excipiendum est votum simplex castitatis emissum ab uxore cujus maritus sacrum ordinem suscepit. Huic enim voto vim dirimendi matrimonii agnoscunt plerique ob canones quosdam Decreto Gratiani insertos, ex. gr. dist. 28. can. 10, 11, 12.

**II.** Sollemnis professio religiosa, secundum communem sententiam, e solo jure ecclesiastico habet vim matrimonii dirimendi. Etenim matrimonium non irritat quatenus est votum seu promissio continentiae Deo facta : secus enim quodlibet votum simplex castitatis et religionis eandem efficaciam obtineret. Igitur vis dirimendi matrimonii oritur praecise e voti sollemnitate, quae juris tantum ecclesiastici est. (n. 84) Idem confirmant dispensationes quas S. Sedes interdum in hoc impedimento concessit. (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 6. n. 48 seqq.)

#### IV. IMPEDIMENTUM COGNATIONIS.

##### Punctum I. De cognatione legali.

**474. I.** Cognatio legalis est propinquitas personarum ex legitima adoptione proveniens.

Haec prima impedimenti cognationis species unice oritur e jure

ecclesiastico. Vid. RR. PP. jam saeculo IX<sup>o</sup>, probarunt impedimentum matrimonii contrahendi quod, in Jure Romano, ex adoptione legitima oriri statutum erat. Cfr. responsum Nicolai I in Decr. Grat. caus. 30. q. 3. c. 1. Sed jus Romanum duplicem adoptionem distinguebat: *perfectam* (seu *arrogationem*), qua persona extranea, quae sui juris est, rescripto principis transit in potestatem et familiam adoptantis ejusque heres necessarius fit; *imperfectam*, qua persona extranea, quae sui juris non est, ritu legitimo assumitur in filium vel nepotem, sed neque in familiam adoptantis transit, neque ejus heres necessarius fit, quamquam ei ab intestato succedit. Probabilius autem (S. Alph. n. 1027) impedimentum matrimonii oritur e sola adoptione perfecta: quia in imperfecta cessat praecipua ratio ob quam statutum est, vid. periculum fornicationis inter personas in eadem domo commorantes.

Ex quo, in plerisque regionibus, Juri Romano successerunt Codices recentiores, orta est quaestio num permaneat praedictum impedimentum ubi iidem Codices legalem adoptionem servarunt.

Sententia longe probabilior et communior (Ball. P. n. 986 seqq.; De Becker, op. cit. p. 202) tenet impedimentum istud permanere ubi novae leges essentialia elementa adoptionis secundum Jus Romanum perfectae retinent; desinere, ubi aliquod ex his essentialibus elementis deest. Eandem distinctionem continet (n. 28) Instructio quam Pronuntius Apost. 2 Febr. 1856, ex commissione S. Sedis, ad episcopos Austriae direxit, declarans eos tuta conscientia sequi posse quaecumque in eadem continentur. Hinc ulterius investigandum quatenus leges vigentes in singulis regionibus veram arrogationem sanciant. Jamvero, sub Jure nostro (idem dic de Gallico, Italico, etc.), in adoptione deficit essentialia arrogationis elementum, scil. ut adoptatus, non tantum de facto, sed ex ipsa lege, in adoptantis familiam transeat. Etenim expresse edicit lex (C. C. a 348) adoptatum manere in sua familia naturali et in eadem omnia jura servare. Atque, e communi sententia Jurisperitorum, impedimentum oriundum ex adoptione juxta nostrum C. C. facta, est mere impediens. (1)

Alii tamen (Feye, n. 435) opinantur S. Sedem jam satis mentem suam expressisse ut tamquam impedimentum dirimens habeatur adoptio legibus recentioribus statuta, etsi imperfectam tantum Juris Romani adoptionem referat. Urgent responsum S. Poenit. quae, de adoptione Juris Gallici interrogata, 17 Maii 1826 respondit: "Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita." Sed nihil inde concludi potest, cum responsio sit condicionata et apte explicetur sensu supra posito: vigere

(1) Cfr. Aubry et Rau, *Cours de Droit civil français* (1872), t. V. p. 81; Baudry-Lacantinerie, *Précis de Droit civil*, t. I. n. 451.

impedimentum, dummodo adoptio legis Gallicae habeat omnia requisita ad perfectam Juris Romani adoptionem: quam quaestionem facti orator praetermiserat, nec S. Poenit. examinasse videtur. Recurrunt quoque ad cit. Instr. Austriacam, in qua adoptio Imperii Austriaci dicitur constituere impedimentum dirimens "quotiens adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur *vel* in ejusdem domum, filiorum familias ad instar, cohabitaturus recipiatur." Quare, saltem in hac ultima hypothesi, impedimentum admittendum videretur. Sed recte advertit Ball. P. (n. 989) talibus instructionibus practicis, nequaquam dirimi controversias theologicas. Quare, ubi S. Sedes certam normam non dedit, ex. gr. in Gallia et in Belgio, impedimentum istud tamquam mere probabile haberi potest. (1) Manifestum vero est nullam ejus rationem habendam esse ubi leges vigentes nullam adoptionem recipiunt, puta in Stat. Foed. Amer. (Kenrick, Th. Mor. tr. 21. n. 145)

## II. Impedimentum cognationis legalis matrimonium dirimit:

1<sup>o</sup> In linea recta, inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes, tempore adoptionis in ejus potestate existentes vel postea natos. Inter has personas impedimentum est perpetuum.

2<sup>o</sup> In linea transversa, inter adoptatum et filios naturales legitimos adoptantis, in hujus potestate adhuc constitutos. Inter has personas cessat impedimentum si dissolvitur adoptio. (Decr. l. 4. t. 12. c. un.)

3<sup>o</sup> Per modum affinitatis, inter adoptantem et uxorem adoptati, et e converso inter adoptatum et uxorem adoptantis. Hoc quoque impedimentum perpetuum est.

### Punctum II. De cognatione spirituali.

475. I. Cognatio spiritualis est propinquitus quaedam, jure ecclesiastico inter certas personas statuta, ratione sacramenti baptismi vel confirmationis.

Ad quasnam personas extendantur, in Jure vigente, haec cognatio eidemque adnexum impedimentum matrimonii dirimens, determinatum est a Trid. Sess. 24. de ref. Matr. c. 2. Videlicet:

1<sup>o</sup> Baptizatus (confirmatus) nequit contrahere matrimonium: a) cum eo a quo baptizatus (confirmatus) est, puta puella cum catechista a quo baptismum recepit; — b) cum iis qui eum in baptismo (confirmatione) tenuerunt.

(1) In Belgio adoptio legalis vix in usu est, nisi ut legitimentur filii naturales. Saepius pueri in familiam recipiuntur et tamquam proprii tractantur, sed cum ad magistratum non recurratur, nulla fit adoptio legalis.

2º Pater et mater baptizati (confirmati) nequeunt matrimonium contrahere: a) cum eo qui eorum filium baptizavit (confirmavit; — b) cum iis qui eundem in baptismo (confirmatione) tenuerunt.

II. Ut cognatio spiritualis contrahatur, sequentes condiciones requiruntur:

1º Ut sacramentum vere collatum fuerit. Ideo nemo illam contrahit quando suppletur tantum baptismi caerimoniae. Quando baptismus sub conditione collatus est, nullum exstat impedimentum, si postea manifestum fit valuisse priorem baptismum; exstat impedimentum, si nulla probabilis ratio pro valore prioris baptismi militat: si vero talis ratio probabilis habetur, impedimentum fit dubium. In hac ultima hypothesis, multi censent cum S. Alph. (n. 151) manere facultatem ineundi matrimonii. Rectius tamen alii (De Becker, p. 209) docent petendam esse dispensationem, cum versemur in dubio facti (n. 469): quod tanto verisimilius est quod in foro publico Ecclesiae constabit de fundamento impedimenti, de rationibus vero ob quas alterum baptisma invalidum foret, vix umquam constare poterit.

2º Ut personae baptizantes vel tenentes sint baptizatae et, ubi de cognatione e confirmatione oriunda agitur, etiam confirmatae. (S. C. C. 12 Jun. 1654) Igitur hoc impedimentum non contrahit infidelis, sive ipse baptizet aut in baptismo teneat, sive ejus proles a fidei baptizetur vel de fonte levetur. (S. Th. Suppl. q. 56. a. 3) Haereticus vero, cum sit capax cognationis spiritualis et Ecclesiae legibus subdatur, illud contrahit perinde ac catholicus. (Sanch. l. 7. disp. 60. n. 2) Quod ad patrilinos attinet, manifestum est nullam ab iis contrahi cognationem, si deest aliqua e condicionibus requisitis ut vere patrilini fiant: quas recole nn. 157 et 166. Contrahitur tamen cognatio spiritualis si quis in patrilinum adhibitus fuit contra leges ecclesiasticas, ex. gr. haereticus: hae enim leges sunt mere prohibentes. Idem dicendum si in baptismo plus quam unus et una, contra decretum Trid. (l. c.) ad patrilini munus admitterentur et supradictas condiciones implerent, ut e pluribus S. C. C. decisionibus constat. (S. Alph. n. 154)

476. III. Ad solvenda varia dubia de hoc impedimento, haec notasse juvabit:

1º Si patrilinus infantem per procuratorem suscepit, solus patrilinus, minime vero procurator, cognationem contrahit, ut certo jam constat e repetitis S. C. C. decisionibus. (Ball. P. n. 1002)

2º Ut quis contrahat spiritualem cognationem, minime requiritur ut eam contrahere velit: nam nullo jure vel ratione probatur hanc intentionem, vel etiam scientiam hujus impedimenti, requiri ut lex ecclesiastica effectum suum operetur.

3º In baptismo qui, ob necessitatem, absque caerimoniis confertur, certo contrahitur cognatio a baptizante. Idem verius dicendum est de patrilinis qui forte in tali baptismo adhibiti fuerint, ob duplicem S. C. C. declarationem. (17 April. 1603 et 5 Mart 1678) Nihilominus practice tuta videtur sententia contraria quam S. Alph. (n. 149) communiorem et probabiliorem vocat, et saltem ut probabilem habent plures ex optimis AA. recentibus. (Ball. P. n. 1008; Feye, n. 413; Lehm. II. n. 758) Hi nituntur verbis Trid. (l. c.) quibus videtur cognatio restringi ad baptismum sollemnem: siquitur Conc. loquitur tantum de patrilinis "qui baptizatum *de sacro fonte* suscipiunt." Id tamen argumentum inane videtur: cum satis obvium sit Conc. non intendisse materialem fontem qui in ecclesia reperiatur, nec quisquam in dubium vocet vere patrilinum esse eum qui hoc munus impleverit quando baptismus cum omnibus caerimoniis domi confertur. (n. 155) Addunt: juxta communem disciplinam, patrilinum in baptismo ex necessitate collato non requiri, immo, juxta aliquos, nec posse adhiberi.

4º Impedimentum istud non multiplicatur si quis plures ejusdem persone filios eodem sacramento tenuit (S. Inqu. 29 Apr. 1894; Act. S. S. t. 27. p. 316); multiplicatur vero, si quis alterius prolem tum in baptismo, tum in confirmatione tenuit, vel si alter alterius liberos vicissim suscepit.

IV. Si parens baptizat vel suscipit infantem suum e legitima uxore sua natum, practice numquam tenetur propterea **abstinere a petendo debito conjugali**.

Talis enim obligatio rationem haberet poenae, ac propterea inter AA. convenit eam non incurri ab eo qui ita egerit ex mera necessitate vel poenam hanc extraordinariam ignorans. Quodsi sciens volens id fecerit, plures censent talem poenam incurri (Feye, n. 426); sed AA. fere omnes contrariam sententiam tamquam probabilem et tutam habent (Gasp. n. 743), cum obligatio abstinendi nullo certe jure demonstretur. Adverte tamen certo contrahi cognationem spiritualem ab eo qui prolem suam illegitimam baptizaret.

#### Punctum III. De cognatione carnali.

477. NOTIONES. Cognatio carnalis seu consanguinitas est vinculum naturale, quo ligantur personae quae ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendunt. (1)

(1) In hac definitione non duximus attendendum esse ad Adam ejusque uxorem et liberos (ut plures AA. faciunt), rati satius esse ut definiatur consanguinitas, prout hodie in genere humano viget.